



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Cùm procuratio tribuebatur tantùm in victualibus, modica erat. Dabitur Legatis lac ad bibendum, & non bibent ultra tertiam vicem. Sed ista abrogata esse adnotat Gambarus. Cardinales Legati sunt ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

oppressi subditi huiusmodi onera non valebant supportare. Frustra enim fuit decretum Innocentij I. & Gregorij X. in Concilio Lugdunensi. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius octavus. Divites pro magna parte exempti à prestatione procuratorum. Quo fiebat ut pauperes multum gravarentur. Abolita acem prorsus sunt illa procuraciones.

I. **R**EDEAMUS nunc ad procuraciones quæ Legatis olim debebantur. Procuracionis nomine intelligo epulas quæ ab inferioribus debentur Prælato visitanti, quas *comesiones* ob hoc ipsum vocat glossa in Clement. *Ad nostrum. De exactationibus.* Inde frequenter in scriptoribus medij temporis ille procuratus dicitur cui alimenta præbita sunt, & procuracionis nomine intelligantur, ut dixi, comesiones exhibitæ visitantibus, unde & exhibere quoque interdum dicebant pro *procurare*, ut notat etiam glossa in cap. *Vas electionis. De censibus. inter Extravagantes communes.* Gregorius igitur septimus sumptus Legatis præberi mandavit ab Archiepiscopis & Episcopis, uti supra diximus; nondum tamen declaratum erat ad illos spectare procuracionem quæ ratione visitationis deberetur. Tandem quia Legati mittebantur ut provinciarum morbos introspicerent, quod fieri non poterat nisi visitarent Ecclesias, paulatim introductum est uti procuratio solveretur Legatis non secus ac Episcopis visitantibus Ecclesias suarum dioceseon. Quis primus istius constitutionis auctor fuerit non invenio traditum memoriæ literarum. Alexander III. præscribens modum procuracionum episcopialium in Concilio Lateranensi, nihil circa Legatos statuit, nisi si Legatorum dignitati prospexit, cum vetuit ne Cardinales parochias visitantes, viginti quinque evectionis numerum excedant. Necessarium autem erat modum quendam his rebus poni, quòd, ut illic ait Alexander, quidam Episcopi ita graves in procuracionibus suis subditis existebant, ut pro huiusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret. Ex quo interim loco multam lucem accipient ea quæ supra relata sunt de querelis adversus Legatos, quorum violentia effectum est ut altaria nudarentur, vasa Dei asportarentur, cruces excoriarentur, & alia multa horrenda per provincias perpetrarentur.

II. Initio autem, ut supra observabamus, ea Legatorum procuratio modica fuit, quòd præberetur tantum in victualibus, pauca porro sufficerent viris qui vice Apostolorum fungebantur. Vnde glossa in cap. *Cum instantia. De censib.* loquens de procuracionibus quæ debentur Legatis apostolicæ sedis ait:

Tom. II.

Dabitur enim Legatis lac ad bibendum, ut dicit Ioannes, ne rubentibus buccis prædicent jejuniorum doctrinam. Addit autem Petrus Andreas Gambarus ista: *At quæro quomodo debeant procurari Legati de latere. Respondeo quòd debent acquiescere illis cibis qui dantur, & eos causa gratiarum actione suscipere. Decet enim eos esse parcos, & imitari Apostolos, quorum se successores faciunt. Aliàs quomodo possent visitando instruire plebem ad jejunia & ad bona opera, si rubentibus buccis & ventre delicatis epulis pleno evangelium Dei prædicarent. Et paulò post: Vnde dicit glossa in c. Cum instantia. quòd Legatis dabitur lac ad bibendum secundum Ioannem, qui locutus est ex more patriæ. Erat enim Theutonicus. Aliàs lac debetur ei qui gregem pascit. Rursum glossa providens honestati Legatorum, prohibet eos in locis ubi procurantur bibere ultra tertiam vicem. Nec bibent, inquit, ultra tertiam vicem. Quia verò auctor glossæ, dum Legatis potestatem fecit exhauriendi tres calices, nihil dixit de magnitudine poculi, idcirco ista per jocum effudit idem Gambarus: *Item nec bibent Legati ultra trinam vicem. sed de magnitudine poculi nihil dicitur. Cum autem post auctorem glossæ dixisset Legatos teneri comedere carnes cum aceto vel lardum, demum addit ista per consuetudinem abrogata esse. Instruit deinde eos apud quos Legati apostolicæ sedis hospitabuntur quoniam modo eos tractare debeant. Hæc sunt ejus verba: Meminisse tamen debent qui Reverendissimos procurant alia cibaria esse danda rusticis, alia nobilibus. Nam rustici cepis & fabis ac caseo utuntur; & si quis aliter eos procuraret, peccaret. Nobiles ergo, quales sunt Reverendissimi Cardinales, qui sunt superillustres & nobilissimi, sunt bonis & consuetis cibis procurandi.**

III. Procuracionis vocabulum, ad significandum tributum quod Legati imponebant provincialibus, receptum fuisse in Ecclesia desinente seculo duodecimo colligitur ex epistola Huberti Archiepiscopi Cantuariensis ad Capitulum Eboracense, cujus verba referentur infra, & ex epistola Hugonis Episcopi Coventrensis de defectione Vvillelmi Episcopi Eliensis, de qua superius actum est. Nam hæc sunt omnino ejus verba: *Et si forte alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis quòd centum vel ducentarum marcarum pretio sua consliterit procuratio.* Verum itaque tunc erat quod Alexander III. observavit in canone quarto Concilij Lateranensis, quosdam ita graves in procuracionibus existere suis subditis ut pro huiusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret. Episcopus autem ille Eliensis, præter amplissi-

Gambari lib. 1. da auctoritate Legati g. 86.

Gambari lib. 1. da auctoritate Legati g. 86.

lib. 5. 94.

Vide infra cap. 11. g. ult.

T ij